3. no. 8

De aduentu filiæ Hiſpanæ Francorum Reginæ in Galliam, & Principis Gallicæ in Hiſpaniã; Ciuitatis Bayonæ nomine cecinit, Car. Bruſchius in Parlam. Burdig. patro.

PARISIIS,
Apud PETRVM DVRAND, in monte diui Hilatij, è regione Putei-Certi, ſub ſigno ſancti Sebaſtiani.

M. DC. XVII.

De aduentu filiæ Hiſpanæ Frãcorum Reginæ in Galliã, & Principis Gallicæ in Hiſpaniã; ciuitatis Bayonæ nomine cecinit, Car. Br. in Parl. Burdig. Patron.

ODE.

IAM, pulcher rutilâ face,
Optatum peperit diem
Galliæ Lucifer, aureo
Ducens axe triumphum.

Iam triſtes hyadas fugat,
Iam pellit rabiem Noti,
Pulſis nubibus emicat,
Iam noſtro Heſperus orbe.

Cùm deuenit amabiles
Hiſpani fluuij plagas,
Iam latura propaginem
Virgo Gallica Sponſo.

Cũ pulcherrima Virginum eſt
Huc delapſa ab Iberibus,
Iam jam prompta nouos ſuo
Flores edere Regi.

O cuſtos hominum Deus,
Cuſtos maxime Principum,
Quorum turgida temperas
Sceptro corda potenti;

Rorem ſpargito cœlitùs
Fauoris ſuper hos tui,
Afflatóque thoris, ſacri
Dulcem flaminis auram.

In moram eiuſdem filiæ Hiſpanæ Bayonam appellentis.

AN hîc triſtis ades tuo
Iam diſceſſu ab Iberibus?
An aduentu alacris? Lubens
Dic, ô Regia coniunx.

Triſti triſtis eras patre,
Vale cum daret vltimum;
Regales lacrymabili
Malas fonte rigatus.

Quid teſtudine concinis,
  Falſi Melpomene tenax?
  Verum dic age conſcia,
  Triſtis, lætáne virgo?

Hoc efferto, vel alterum:
  Vultu triſtis erat, cato
  At lætiſſima pectore:
  Quidnam fingere proſit?

Tabebat gemitu pater,
  Hanc mœrore putat ſimul.
  Quanto fallitur hic dolo! At
  Quem non fœmina fallit?

Hic bis, hic ter, & ampliùs,
  Vale dixerat vltimum,
  Sed, cũ pergit Amãs, mouet
  Hanc nec lacryma patris,

Non ſuſpiria triſtia
Triſti corde fluentia,
Non natalis amor ſoli;
Prorſus nílque moratur.

Lætum carpit iter, leui
Ille vrget pede mox pedem,
In nouos iterúmque eunt
Fletus nata, patérque.

Aſt hic corde, oculíſque agit,
Tabeſcens, lacrymas, ea
Multùm luminibus gemens
Nullas pectore ducit.

Se totum ſobolis ſuæ,
Hic amplexibus alligat,
Cuius purpureo ſequax
Pendet totus ab ore.

Illa illum fouet in ſinu;
Sed abſentem animo ſuum
Toto amplectitur arctiùs
Quam fas credere, Spõſum.

Hîc iam verba nouiſſima
Caræ reddere filiæ
Vellet; ſed vetat intimi
Mirus feruor amoris.

Illam fert animus ſequi,
Ac regna extera viſere,
Ni mos, vanáq; Principum
Illud norma vetaret:

Iam ad nota, vnde abiit, pede
Verſo tecta reducere,
Et ſic (ſed breue) mutuam
Iam ſuſpendere dotem.

Hoc

Hoc virgo ſuper omnia
Horret, ſaucia pectore:
Hoc auerte malum, Deus,
Imo corde precatur,

Et votis onerat polum:
(Nec nouit genitor preces,
Nec vota) his Deus annuit,
Læsâ virgine victus.

Sancti lampade Spiritus,
Mox flagrãs, monitúſq; abit
Princeps in melius, ſacra
Diuûm iuſſa ſequendo.

Durúmq; ingeminans adhuc
Vale, vix valet alloqui,
Sed ſuauiſſima filiæ,
Fletus, baſia figit.

Ac ſe, multa animo mouens,
Collo ſubtrahit illius,
Aſpectúque; grauis dolor
Cor pertriſte cruentat.

Nec ſiccis oculis manet
Virgo, ſed lacrymabili
Rigat fonte ſinus, tamen
Cor non fonte madeſcit.

Imò gaudia concipit,
Intus: Quid moror hîc? ait,
Me forſan iterum pater
Triſti voce ciebit,

Inuisíſque mihi diu
Me terris remorabitur:
Curſu præpete Gallicas
Hinc tendamus ad arces.

Geſta hæc Melpomene canis:
Iam ventura canas mihi,
Iam deprome melos breue,
Nam non diſplicet arctum.

Dulces delitias tibi
Dulces blanditias parat
Virgo, optabile quicquid eſt
Hoc Rex ipſe parabit.

Ex te longa potentium
Naſcetur ſeries ducum, &
Regum, milléque Gallicæ
Èdes Lilia genti.

Siquæ caſtra mouet furor
Iam Mauortius, hæc modò
Vt ſol nubila diſſipat,
Sic tu contere Virgo.

Te præſtare tibi Deus,
Hoc (nec vana fides) dabit,
Te præſente furentia
Mauors arma reponet.

Pacatúſque Cypri Deâ,
Bellorum haud cupidæ tibi
Ramum paciferæ manu
Is prætendet oliuæ.

Hîc jam Muſa quieſcito,
Hîc compeſcito jam melos,
Nā pacem, & nihil amplius,
Noſtro quærimus Orbi.

BAYONAM INGRESSVS filiæ Franciæ ad Hiſpaniam Pergentis.

PIſce, vndáq; potens, Ioue nata, mari orta profundo,
    Hinc Thetis, hinc Pallas, hinc Cytheræa venus,
Gratior hac, iſtâ grauior, formoſior illâ,
    Hîc germana ſoror, natáque Regis adeſt;
Lilia fronte gerens, imo geſtura Leones
    Pectore, ſacra quibus Lilia iunxit Amor.
En vt progreditur regali regia paſſu!
    En vt mira oculis Gallica Virgo facit!
En vt delitias populo! ſtupor vrget eundem,
    Enitet egregio tantus in ore decor.
I decus, i mundi flos, flore ſuauior omni,
    Grandis ad Hiſpanos, grandior ipſa thoro.
Fauſtâ nocte duos exungues inde Leones
    Concipe, qui Turcis ſint timor atq; tremor.
Caros Heſperio Regi proferto nepotes,
    Qui ſua parta ſuis, non aliena velint.
Tales ſi edideris, totus mirabitur orbis,
    Thúſque velut diuis offeret ipſe tibi.
Ergò age, ſorte ſuâ contentos editò partus,
    Hócque nouo fies non moritura modo.

Reginæ Bayonâ egreſſus.

EGredere ô virgo, téq; hinc pulcherrima perfer
Regis ad amplexus, ne moriatur Amans.
Nec languentis amore tui te ſubtrahe collo,
Quin priùs ediderit baſia mille tibi.
His immiſta iocis faciant te prole parentem
Cætera, quæ patitur ſumere caſtus amor.
Iuge hoc Bayonæ votum, votúmque potentis
Imperij: votis annue fauſtus Hymen.

IN BAYONAM,
DISTICHVM.

Atro perfidiæ nunquam polluta veneno
Eminet hæc, ſimilis ſtabit & ipſa ſui.

FINIS.